Tekst 1

Laelius vertelt over het kiezen van vrienden.

Sed — saepe enim redeo ad Scipionem, cuius omnis sermo erat de amicitia — querebatur quod omnibus in rebus homines diligentiores essent: capras et oves quot quisque haberet dicere posse, amicos quot haberet non posse dicere; et in illis quidem parandis adhibere curam, in amicis eligendis neglegentes esse, nec habere quasi signa quaedam et notas, quibus eos qui ad amicitias essent idonei iudicarent.

Sunt igitur firmi et stabiles et constantes eligendi, cuius generis est magna penuria. Et iudicare difficile est sane nisi expertum; experiendum autem est in ipsa amicitia. Ita praecurrit amicitia iudicium, tollitque experiendi potestatem. Est igitur prudentis sustinere ut currum, sic impetum benevolentiae, quo utamur quasi equis temptatis, sic amicitia aliqua parte periclitatis moribus amicorum. Quidam saepe in parva pecunia perspiciuntur quam sint leves; quidam autem, quos parva movere non potuit, cognoscuntur in magna. Sin vero erunt aliqui reperti qui pecuniam praeferre amicitiae sordidum existiment, ubi eos inveniemus qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes, amicitiae non anteponant, ut cum ex altera parte proposita haec sint, ex altera ius amicitiae, non multo illa malint? Imbecilla enim est natura ad contemnendam potentiam; quam etiamsi neglecta amicitia consecuti sint, obscuratum iri arbitrantur, quia non sine magna causa sit neglecta amicitia. Itaque verae amicitiae difficillime reperiuntur in eis qui in honoribus reque publica versantur; ubi enim istum invenias, qui honorem amici anteponat suo? Quid, haec ut omittam, quam graves, quam difficiles plerisque videntur calamitatum societates? Ad quas non est facile inventu

qui descendant. Quamquam Ennius recte "Amicus certus in re incerta cernitur", tamen haec duo levitatis et infirmitatis plerosque convincunt, aut si in bonis rebus contemnunt, aut in malis deserunt. Qui igitur utraque in re gravem, constantem, stabilem se in amicitia praestiterit, hunc ex maxime raro genere hominum iudicare debemus et paene divino.

Cicero, Laelius / De Amicitia 62-64